

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

VIII. De utilitate tentationis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## VIII. DE UTILITATE TENTATIONIS.

**R**OGATA oravi Dominum pro quodam homine, ut liberaret eum, auferens attactus et motus corporis, qui etiam sine peccato quandoque incidunt, ad quæ se liberum arbitrium non inclinat; et dixit mihi Dominus: «Tace; placeretne tibi quod miles omni genere armorum munitus, et in militia doctissimus, ad bellaque fortissimus, brachiisque expeditus, torperet ignavia, negligeret domini sui gloriam et donativum perderet, laudisque jactantiam, quam dominus suus et ipse habiturus esset in terra, pigritando contemneret? Quod si expers et imparatus ad pugnam, ad principum præsumeret torneamenta procedere, subito in tali ludo dejectus interiret. Ideoque infirmis oportet parcere, qui levi a tentatione arctati solent occumbere; quos permitto cum pueris contendere, ut saltem coronam de floribus valeant obtinere.»

III. 18.

## IX. DEUS PIE DIMITTIT PECCATA.

**R**OGAVIT me quidam homo turbatus, ut pro ipso Dominum deprecarer. Oravi ergo Dominum cum timore [intra me.] Et audivit me, in veritate vocis suæ dicens verba hæc: «Non invenitur tam speciosus et innocens agnus, qui non luporum feritate et timore constringatur; prædestinationis meæ electio a nullo penitus poterit irritari. Hæc ego ei pro quo supplicas in tribus declaravi: primo, quia culpis ejus misericors fui; secundo, quia gratiam meam ipsi tribui; tertio, quia ab infidelibus hominibus eum nunquam infestari permisi.» Tunc querulosa pro eo ad Dominum dixi: «Eia, benigne Domine, adhuc timet homo iste, quod sibi peccata sua non plene indulseris.» Et respondit mihi Dominus: «Hoc est impossibile: qui pro peccatis suis dolet, relaxo ea sibi; qui vero cum dolore afflicti cordis gemit, gratiam indulgentiæ percipit; qui autem tanto fervore compungitur, ut plus vitam mortalem perdere quam peccatum

IV. 6.